

aliter non potuit recuperare nisi quod ipse scribi fecit Johanni Cornario quod
in catastico Curie Crete duas suas seruentarias de Scopella sitas in insula nostra 165
Crete et sic habuit yperpera II mille CC tali quidem pacto quod ipse Johannes
Cornario per cartam publicam inde factam affictauit sibi easdem seruentarias ad
certum tempus pro yperperis CC soluendis annuatim cum condictione quod
dictus pater suus tenebatur facere uarnitionem et supportate cetera onera earum-
dem et in casu quo sibi uellet restituere dicta yperpera II mille CC predictae ser- 170
uentarie sibi remanere debebant et esse sue, postea uero dominum dictarum
seruentariarum deuenit in prefatum Ludouicum Caucho cum oneribus et condi-
tionibus antedictis qui Ludouicus eas sic tenuit et possedit ab annis XVIII citra
faciendo continue uarnitionem et alias factiones ad quas erat obligatus tanquam
uerus et directus patronus in tantum quod tempore quo ipse uoluit uenire Vene- 175
cias pro curatione infirmitatis sue instituit cum licentia dominij alium loco sui,
qui seruiebat pro eo usque ad eius reditum. Nuper autem quidam filius supras-
cripti Johannis Cornario quondam qui postpositis rebus temporalibus si totum
diuino dedicauit obsequio elegit patriam et cognationem relinquere ac proposito
peregrinari in habitu paupertatis et sic exiuit de Creta sola occasione deuotionis 180
et pie religionis. Set propter recessum ipsius dominum Crete intromissit et reser-
uauit nomine nostri communis feudum antedictum tanquam bona dicti Nicolai
habens eundem Nicolaum inordinate sine licentia recessisse. Qua propter ad
uestram dominationem recurritur pro parte dicti Ludouici Caucho supplicando,
quatenus considerata concessione facta suprascripto quondam Johanni Cornario 185
de ipso feudo qui non erat uera alienatio, set paliata pignoratio sicut patet ab
effectu quoniam ipsam proprietatem et dominium proprietatis continue habuit
realiter ipse Ludouicus et pater eius tali modo quod dictus Nicolaus Cornario
uel pater eius nullum ius habuerunt in proprietate set solum in pecunia supra-
dicta. Et attenta condictione dicti Ludouici Caucho qui diu patitur inremedia- 190
biliter et in aliquo non contrafecit mandatis et constitutionibus Ducalis dominij
dignetur Uestra Magnificencia que suis fidelibus esse consuevit fauorabilis et
benigna mandare quod dictum pheudum suum restituatur sibi de gratia speciali. 193

2

Ἐπὶ αἰτήσεως Ἀνδρέου Κορνάρου ποτὲ Ἰωάννου αἰτοῦντος τὴν ἀποκατάστασιν ἐπὶ τῶν δικαιωμάτων
του ἐνὸς καὶ ἡμίσεως τιμαρίου λεγομένων Πλατισὸ καὶ Ζαράτη. 1361, Σεπτεμβρίου 7.

Fo 21^{to} Millesimo trecentesimo LXI, die septimo Septembris.

1

Capta. Cum per uirum nobilem Andream Cornario habitatorem Candide
nobis fuerit propositum quod occasione recessus Nicolai Cornario de Candida

12



fratris sui una seruentaria cum dimidia uocata Platiso et Zarati, posita fuerit in
5 commune per ducham et consiliarios Crete presentes que licet scripta fuerit
Johanni Cornario in catastico Crete patri predictorum Andree et Nicolai, tantum
est cuiusdam Jacobelli Pagano, cui in catastico scribi non potuit, cum Jacobellus
predictus affictauerit eam Johanni Cornario patri predictorum Andree et Nicolai,
sicut apparere dicitur per litteras et scripturas predictorum duche et consiliario-
10 rum. Et propterea supplicauerit nobis quatenus attento casu sinistro dicti fratris
sui et quod illud quod suum non erat de jure confiscari non potuit, dignaremur
dictam seruentariam unam cum dimidia dare ad beneplacitum nostrum soluendo,
illud quod dictus frater suus soluere tenebatur ipsi Jacobo Pagano, offerendo se
paratum uarnitionem pro dicta seruentaria una cum dimidia et omnes alias
15 impositiones que per dominationem Crete ordinabuntur integraliter facere necnon
affictum ipsius communi uel ipsi Jacobo Pagano integraliter dare et soluere,
sicut per dominationem ordinabitur. Uadit pars intellectis litteris per ducham et
consiliarios predictos super hoc dominationi transmissis, nec non responsione
sapientum ordinum superinde quod scribatur duche et consiliarijs Crete quod
20 relinquimus in sua prouisione de affictando dictam seruentariam unam cum dimi-
dia dicto Andree Cornario fratri dicti Nicolai uel alijs qui sibi uiderentur uel
ipsum Andream facere procuratorem ipsius seruentarie unius cum dimidia uel
alios qui sibi uiderentur meliores pro bono communis et maioris auantagio illius
cui posset spectare jus dicte seruentarie unius cum dimidia, intelligendo quod
25 illud quod restabit persoluto affictu dicte seruentarie reseruetur apud camerarios
communis sicut debent conseruari alia sua bona. De non — 1 non sincere 2.

3

Ἐπὶ αἰτήσεως Ἰωάννου Γκίζη ποτὲ Μαρίνου καὶ Θωμᾶ Γκίζη ποτὲ Μάρκου ἐκ Κρήτης διεκδικούντων
τοὺς δουλοπαροίκους τῶν τῆς νήσου Ἀμοργοῦ. 1361, Σεπτεμβρίου 7.

F^o 21^{to} Millesimo trecentesimo LXI, die septimo Septembris.

Capta. Intellecta petitione pro parte Johannis Gisi quondam Marini et
Thome Gisi quondam Marci de Creta nobis exhibita de reductione aliquorum
eorum uillanorum insule de Amorgo, quam iam dudum ut asserunt progenitores
5 eorum de manibus grecorum tunc inimicantium nobis armata manu acceperunt,
contra quos uillanos ipsi absque contradictione uigore cuiusdam mandati ducalis,
dudum facti regimini Crete, tempore ser Belleti Justiniano tunc duche Crete uti
poterant jure suo, continentis quod uillani nostrorum fidelium tenentium terras
et loca in partibus Romanie restituantur eis pleno jure, set propter aliud man-
10 datum Ducale tempore regiminis ser Zufredi Mauroceno continens quod uillanis